

heus heus Aeschinus ego sum : aperite aliquis actatum  
ostium.

prodit nescioquis : concedam huc.

635

v

## M I C I O      A E S C H I N V S

*MI.* Ita uti dixi, Sostrata,  
facite ; ego Aeschinum conveniam, ut quomodo acta  
haec sunt sciatur.

sed quis ostium hic pultavit? *AE.* pater hercle est :  
perii. *MI.* Aeschine,

*AE.* quid huic hic negotist? *MI.* tune has pepulisti fores?  
5 (tacet. quor non ludo hunc aliquantisper? melius est,  
quandoquidem hoc numquam mihi ipse voluit credere.) 640  
nil mihi respondes? *AE.* non equidem istas, quod sciam.

*MI.* ita? nam mirabar quid hic negoti esset tibi.  
(erubuit : salva res est.) *AE.* dic sodes, pater,  
10 tibi vero quid istic est rei? *MI.* nil mihi quidem.  
amicu' quidam me a foro abduxit modo 645  
huc—advocatum sibi. *AE.* quid? *MI.* ego dicam tibi :  
habitant hic quaedam mulieres pauperculae ;  
ut opinor, eas non nosse te, et certo scio,

15 neque enim diu huc migrarunt. *AE.* quid tum postea?

*MI.* virgo est cum matre. *AE.* perge. *MI.* haec virgo 650  
orbast patre ;

hic meus amicus illi genere est proximus :  
huic leges cogunt nubere hanc. *AE.* perii! *MI.* quid est?

*AE.* nil: recte: perge. *MI.* is venit ut secum avehat,  
20 nam habitat Miletii. *AE.* hem virginem ut secum avehat?